



# PRÆFATIO AD LECTORÉM.

**A**nus nunc agitur unus alterve, quod Physicæ Experimentalis ornanda augendaque gratia, inter alios, per Literatum orbem sparsos, viros Celebriores, Clarissimum Dn. Marcellum Malpighium, Philosophum & Medicum Bononiensem, inque Messanensi Cathedra Medicinæ Professorem Primarium, ad colendum cum Nostratibus commercium Literarium, eaque Nobis, que per Italiam & Siciliam occurrerent in Naturæ scriniis observatu digna, communicandum, ea qua par erat humanitate invitabam.

Mirum, quanta animi lubentia invitationem hanc amplexus fuerit Malpighius, quamque cordatus exinde suam in conferendis Symbolis promptitudinem, literis non unis ad Nos exaratis, testamat fecerit; addito imprimis argumento hoc luculentissimo, quod eximiam, cui hec præfamur, de Bombyce Dissertationem, egregia doctrina & cura elaboratam, Regiae Societati, (que eam, hactenus non nisi manu-scriptam, prædignam omnino judicavit) pro singulari suo in Ipsam affectu, in scribere & dedicare voluit.

Ominari.

### Præfatio ad Lectorem.

Ominari profecto hinc licebit, etiam alios aliarum Gentium viros doctos & sagaces operam omnino se fulam navaturos, ut geminas de aliis argumentis Physicis Observationes ad locupletandum Penu Philosophicum comparatas, summa, qua fieri poterit, cura & fide congerant & juris publici faciant.

Credibile vix fuerit, siquidem eo pacto omnes Nationum politarum Mentes illustres unanimi consensu in tam Nobilem se tradere curam vellent, & Ingenia, Opes & Operas ad indagandam Vim Naturæ & abdita illius eruenda Mysteria sociare, quo & quanti momenti Arcana prorumperent, per quæ se Mundus agnosceret, intelligeretque, quantam Materiam & opportunitatem rebus à se conditis inclusuræ Sapientissimus Author, quamque Universum hoc abundet rebus, quarum acquisita Cognitio non Humanæ tantum Naturæ evehheret dignitatem, sed & Humanæ Vitæ commoda quam maxime adaugeret.

Libellum ipsum quod attinet, nolumus equidem ampliori Præloquio judicium Lectoris antecapere: Id potius rogamus, ut suam de eo sententiam, usque dum evolverit & perpendatur totum, differre, queque de hinc ipsi in Historia hujus Amplificationem subvenerint, in medium conferre velit. Vale, Lector Amice, & Tui Studioſiſſimo fave

H E N R I C O   O L D E N B U R G

Soc. Reg. Secr.

---

### ERRATA.

Page 7. lin. 1. lege interière Scio, Lattuca. p. 9. l. 19. l. excoriationis. p. 17.  
l. 1. l. per diem p. 36. l. 3. l. productiones. Ib. l. 13. l. aliquid l. cis. Ib. l.  
24. l. latitudinem. p. 59. l. 16. l. ductis. p. 60. l. 1. l. Papilionis. p. 82. l. 19. l.  
transacto. p. 97. l. 15. l. bis pro ter bis. In Epistola ad Malpigh. p. 3. l. 6. l. pro-  
ficiisci. p. 4. l. 1. l. fore.